



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius


Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXXII. Quàm gravia sint peccata nostra, apparet ex aspectu
& contemplatione crucifixi Jesu Redemptoris nostri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXXXII.

Quàm gravia sint peccata nostra, apparet
ex aspectu & contemplatione, crucifixi
JESU.

*Vulneratus est propter iniquitates nostras : Attritus est
propter scelera nostra. Isa. 53. 5.*

I.

Quare maledicit canis iste mortuus Domino meo Regi? *Vadam & 2. Reg. 16. 9.*
amputabo caput ejus. Dicebat quondam Abisai, dux & vir
egregius ad Semei maledicentem David, & lapides in il-
lum mittentem. Hoc dicit etiamnum hodie Justitia di-
vina contra quemlibet peccatorem: Quare hic canis mor-
tuus maledicit Domino meo Regi, & huic crucifixo? quare in eum
lapides mittit, illumque de novo cruci affigit? *Vadam & amputabo*
caput ejus. Sed inhibuit David, inhibet & DEus, qui miseretur potius,
quàm castigat, *dissimulans peccata hominum propter penitentiam.* O qualis *Sap. II. 24.*
amor Crucifixi JESU in nos miseros! Audi ipsum per os Isaïæ Prophe-
tæ ad cor tuum loquentem:

Verùm tamen servire me fecisti in peccatis tuis, prabuisti mihi laborem *Isa. 43. 24.*
in iniquitatibus tuis. Advertat hoc quilibet Christianus. Supra quod
egregiè Leo Castrius apud Cornelium: Tuis peccatis *servire*, id
est servi canem induere, servi pœnas, scilicet crucem suscipere
me Christum *fecisti*; imò tam tu ò Israel quàm Pilatus & Roma-
ni in morte me tractastis, non tam ut mancipium, quàm ut
pecus vel belluam. Vide ex his, & collige quanta pro tua salute
passus sit Redemptor tuus crucifixus, proinde rectè S. Bernhar-
dus in persona Christi loquens, mortalitati humanæ reliquit hæc
emphatica:

Ginther Unus pro omnibus.

R r r

O h o.

O homo vide, quid pro te patior;
 Non est dolor, sicut quo crucior;
 Ad te clamo, quod pro te morior,
 Vide clavos, quibus confodior,
 Cum sit tantus dolor exterior,
 Interior est planctus gravior,
 Cum te tam ingratum experior.

Eccli, 22. 16:

2. Olim præcepit Sapientissimus Ecclesiasticus: *Supra mortuum plora; defecit enim lux ejus. Et super fatuum plora: defecit enim sensus.* Et qualis, haud immeritò quæres, iste mortuum est, super quem maximè plorandum? Attolle oculos tuos & crucifixum JESUM aspice, pro tua

Jerem, 9. 1.

salute in cruce mortuum. Plora hic ó peccator! plora, & dic cum Propheta Threnologo: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte, quia ego interfeci Dominum meum, & quia peccata mea erant offensâ Dei summe boni & summe dilecti. Et super fatuum plora, cui defecit sensus, hoc est, super te ipsum plora,*

Deut, 32. 6.

tanquam super peccatorem miserrimum, quia omnis peccator fatuus est; unde Moyses in Cantico ad ingratum populum: *Hæcine reddis Domino popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit*

Judic. 16. 21. te, & fecit, & creavit te?

3. Samsoni capto Philistæi hostes eruerunt oculos, ac deinde excæcatum, tanquam Jumentum ad molam miserunt, ut semper in circuitu gyrando viam quidem quæreret, sed nunquam inveniret. En typum excæcatorum peccatorum; Fuit autem Samson justâ ac congruâ pœnâ oculis privatus, quia illis lascivè aspexit, & concupivit Dalilam, erat tamen hæc pœna ei valde salutaris, quia per cæcitatem oculorum corporis aperti sunt illi oculi mentis, ut ex hac pœna agnosceret culpam, & de ea pœniteret, ac pœnitens Dei gratiam inveniret; hinc meruit, ut moriens typus Christi in cruce morientis, & ad duo extrema crucis manus extendentis fieret: *Concususque fortiter columinis, cecidit domus super omnes principes & cateram multitudinem, sic Christus in cruce moriens oppressit diabolum, peccatum, gehennam.* Pro reflexione morali collige ex hoc gravitatem peccati, unde rectè Eminentissimus Bellarminus: *Nunquam planè cognitum fuisset, quanta sit ira Dei adversus peccatum, nisi expiari DEUS illud voluisset morte Unigeniti Filii sui.* Et tu audes adhuc peccare? Audi antiquissimum Origenem: *Pro te, ait, Dei Filius jugulatus est, & iterum peccare te delectat?*

Bellarmin. in

Psal. 84.

Orig. hom. 2:

in Levit:

4. S. Pau-

4. S. Paulus pro animi sui magnitudine aliquando omnes creaturas, imò omnes hostes internos & externos provocavit, an ipsum possent ab amore Dei & Crucifixi JESU separare: *Quis erga nos separabit à charitate Christi?* An tribulatio? Certè non, quia gloriamur in tribulationibus. An angustia? Neque illa, quia charitas in Christum superat omnes angustias. An fames? Minimè gentium, quia cibus meus est Christus. An nuditas? Neque hæc, quia charitas Christi vestit me. An periculum? Nullo modo, jam enim assuetus sum ejusmodi obviandi discriminibus. An persecutio? Neque illa poterit mihi auferre Christum: *Cùm Christum in cruce intueor*, ait in persona Pauli Cornelius, *Cornel. lic. & lego purpureos toto corpore amoris mei characteres, libet exclamare: Veni in media, veni dolor, veni crux. venite leones, vos ambio, ut amorem meum in Christum ostendam, ut amorem amoris rependam.*

Sed ignosce S. Paule, magne Doctor Gentium; ignosce inquam, unum adhuc est, quod separat à charitate Dei, quæ est in Christo JESU & hoc Crucifixo, nimirum unicum peccatum grave: *Alia enim omnia*, ait didacus Nyssenus, *non habent vires, ut avellere quemquam ab amicitia Dei queant; unum, solumque peccatum eam extinguere momentò potest.* Vide ex hoc gravitatem unius peccati lethalis; Unde S. Bernhardus: *Gravis anima casus, qui non nisi Christi cruce potuit reparari.*

5. Juvat hic consulere S. Thomam Villanovanum Archiepiscopum, Vita hujus S. pum, cujus granarium post farinam omnem in pauperes erogata divinitus plenum inventum est, cui Christus de cruce viva voce secunda die Februarii dixit: *Æquo animo esto, in die Nativitatis Matris meæ venies ad me.* Hic, inquam S. Archipræsul, cùm aliquando attentiore & ardentiore mente Amorem suum in cruce pendentem considerasset, stupore plenus exclamavit: *Quid magis peccati horrorem homini incutere potest, quam videre Filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem, & terribilem passionis pro reatu hominis satisfactionem reddentem? O grande malum peccatum! pro quo talis ultio fit. Non mihi inundantem Mundum, flagrantes civitates, absorptos homines, non inferni, & omnes ejus penas objicias; nam si mihi proponas gehennas, non sic expavescō, & contremisco, sicut videre DEUM pro peccato morientem, & peccati reatum morte solventem; Nihil me ita Domine deterret, nihil me sic à peccato detinet, sicut videre Filium tuum dilectissimum Unigenitum propter peccatum clavis affixum, latronibus associatum, & crudelissimâ morte multatum. O infinitam audaciam peccatoris! qui post tale spectaculum peccare non formidat? O anime mi, qui hæc legis, & crucifixum JESUM aspicias, quare non cum Vate Regio exclamas: Iniquitatem meam ego cognosco; ego peccavi, ego te ô Fili Dei in cruce intueri;*

500 *Consideratio CXXXII. Gravitas peccati ex aspectu &c.*
teremi; sic quod deliquit servus, luit Dominus? Ah miserum me!
Quid ergo consilii?

Luc. 6. 1.

6. Villicus ille iniquus, qui apud Dominum suum diffamatus est, quasi dissipasset bona ipsius, prudens adhuc invenit consilium: *Fodere*, inquit, *non valeo, mendicare erubescio; scio quid faciam?* Et quid facies? Faciam, reponit mihi, bonos amicos, ut cum defecero, me recipiant ad sua tabernacula. Et quales ergo amicos facies? Apage cum Mammona iniquitatis; Optimus ac potentissimus amicus tuus est Christus JESUS & hic crucifixus; & quia fodere non voluisti, ecce in agro Golgothæ in SS. Vulneribus, imò & in divinissimo Corde ejus jam fossæ factæ sunt. Mendicare erubuisti; Ecce ipse pro te factus est mendicus, & adhuc hodie orat pro te apud Patrem suum omnipotentem. Audi dilectum ejus discipulum:

1. Jo. 2. 1.

Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem; Jesum Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius

2. Cor. 5. 15.

mundi. Ergo ô bone JESU etiam pro peccatis meis? Ita est, pro omnibus enim passus est Christus. Sufficit mihi ista lectio; gravia quidem sunt peccata mea, sed nondum despero, quia bonum fidejussorem habeo, Dominum meum JESUM, & hunc crucifixum, intra cujus SS. Vulnera cum S. Antistite Hipponensi & vivere volo, & mori desidero.



CON-